

Sac. Antonius PELOSI

Scriptor Latinus Summi Pontificis Romani

LINGVA LATINA
PECVLIARE SIGNVM VNITATIS
ET VNIVERSALITATIS ECCLESIAE*

Ecclesia Catholica in Historia humana primum exemplum fuit religionis universalis: hoc quidem evenit ipsa manifesta voluntate eius Conditoris, Iesu Christi, qui ascensus ad Patrem discipulis suis commisit: "*Euntes ergo docete omnes gentes...*" (Mt 28,19).

Exorta christiana religione, dici potest continuasse et increvisse magis conscio animo quidam processus unitatis humani generis: *idea* quae primum exstitit in Helade et ad effectum adducta est politice in Romano Imperio ac dein partim in "Christianitate" Mediae Aetatis.¹

Unum ex elementis quod multum contulit ad visibiliter exprimendas per saecula, maxime in Occidente, unitatem et universalitatem Ecclesiae lingua fuit Latina.

Est enim notum per eundem quoque sermonem Ecclesiam, usque a primis saeculis, valuisse coalere fideles suos, potissimum clericos, nationis, culturae et linguae diversos.

"*Oh, beata tempora* - ita exclamavit Cardinalis Augustinus Casaroli in libro suo memoriali - *quibus antiqua lingua Latina permittebat sacerdotibus inter se colloqui etiam in Sinis et in Iaponia...*"² (Praeterea nonne docti viri magna ex parte orbis propria scribebant opera et communicabant inter se plerumque Latine usque ad saec. XVIII?).

Ipsa Liturgia Romana a saec. IV usque ad Concilium Oecumenicum Vaticanum II exprimebatur Latine.

Memoratum post Concilium, maximum eventum ecclesiale XX saeculi, introductae sunt merito linguae nationales, quae sinunt fidelibus plenior et actuosam participationem ad actiones liturgicas, praesertim ad Missam.³ Ad quem finem iam antea in usu erant interpretationes in aliis linguis ita ut fideles liturgicos textus comprehenderent. Concilii autem Patres opportunum existimaverunt comprobare usum linguae

* Ex III libello Commentariorum qui *Latinitas* inscribuntur mense Sept. a. MMI edito in Civitate Vaticana.

¹ Cfr Hans Urs VON BALTHASAR, *Verbum caro*, III ediz., Brescia: Morcelliana 1975, 52.

² *Il martirio della pazienza*, Torino: Einaudi 2000, 144.

³ Cfr Constitutio de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 36.

Latinae in Ritibus Latinis "*salvo particulari iure*"⁴ et agnoverunt cantum gregorianum "*ut liturgiae Romanae proprium*"⁵, probe memores tantae locupletis hereditatis. Ergo, secundum mentem Patrum, linguarum nationalium usus haud debebat minuere vetus patrimonium linguae et musices, sed ad illud accommodari cumque eodem componi ut antiquitus accidit quoad pertinet ad alias cultus formas, cum liturgia Romana sumpsit et aptavit orationes e liturgia vetero-Gallicana, antiphonas et responsoria e liturgia Byzantina, ritus et caeremonias e liturgia vetero-Hierosolymitana, formulas et acclamationes e liturgia vetero-Alexandrina et immo quaedam elementa e religionibus non christianis.⁶

Paulatim sane eo perventum est ut maior pars fidelium oraret caneretque solum in nationali sua lingua, ita ut liturgicis in actionibus, quibus intererant fideles non earundem nationum et linguarum, haud iam fieret plena "externa" astantium participatio, quod accidisset si caneretur ordinarius Missae Latine et in cantu gregoriano, qui prodiit e veterrimis Occidentis et Orientis harmoniis et ad quem efformandum dederunt operam musici viri, praesertim monachi, variis e populis catholici orbis: nullus alius ecclesialis cantus huiusmodi virtute pollet!

Sic sensim deperdebatur visibile signum unitatis.

Re vera, suo tempore, Paulus VI, felicitis recordationis (qui cum fungebatur munere Substituti Secretariae Status nisus est ut Commentarii nostri "*Latinitas*" instituerentur), ad vitandum huiusmodi deprecabilem prorsus casum, misit sollicitus cunctis orbis Episcopis libellum "*Iubilate Deo*" nuncupatum, in quo continebantur *Pater noster* atque *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei* Missae "de Angelis" aliaque communes cantiones vel hymni, videlicet *Salve Regina, Magnificat, Veni Creator...*, adhortans Praesules ut iidem cantus adhiberentur maxime sollempnibus in celebrationibus.

Insuper praesens Summus Pontifex Ioannes Paulus II (qui Latini Graecique sermonum cultor est egregius prioremque pluries et congrue adhibuit in aulis Concilii Vaticani II et Synodi Episcoporum, cuius diligens membrum fuit), consentiens plane cum Concilii, quod diximus, normis cumque incepto Decessoris sui Pauli VI, in maioris momenti ritibus, quibus praesidet, etiamque in piis exercitationibus, sicut in Rosario, non solum lingua utitur Latina sed curat quoque eandem adhibendam in cantibus.

Opportune sic evenit ut exemplum spectatissimum Pontificis, per televisifica instrumenta a multis visum, inciperet imitari numerus, semper crescens, cleri populique ita ut hodie obtentus sit quidam iustus modus quamvis aliquid adhuc maneat faciendum.

Latini tamen sermonis usus non attinet solum ad liturgicum campum sed etiam:

- ad formationem cleri: in canone 249 *novi* Codicis Iuris Canonici (qui scriptus est Latine) invenitur: "*Institutionis sacerdotalis Ratione provideatur ut alumni non tantum accurate linguam patriam edoceantur, sed etiam linguam Latinam bene calleant*";

⁴ *Ibid.*

⁵ *Ibid.*, 116.

⁶ Cfr Ph. OPPENHEIM, *Institutiones systematico-historicae in sacram liturgiam*, tom. VI, Taurini-Romae: Marietti 1941, 218; A. BAUMSTARK, *Vom geschichtlichen Werden der Liturgie*, Freiburg i.Br. 1923.

- ad Pontificias Studiorum Universitates: in vigentibus Ordinationibus quas tunc Sacra Congregatio pro Institutione Catholica emisit ad rite exsequendam Const. Apost. *Sapientia Christiana* Ioannis Pauli PP. II, 15 Apr. 1979, disponitur: "**Congrua linguae Latinae cognitio in Facultatibus scientiarum sacrarum requiritur, ut studentes harum scientiarum fontes et Ecclesiae documenta intellegere atque adhibere possint**".⁷

- ad Apostolicae Sedis Tribunalia et Dicasteria: in art.13 Ordinationis Italice *Regolamento Generale della Curia Romana* nuncupatae, ut officiales inserantur in altiores gradus, et **linguae Latinae cognitio** requiritur.

Ecclesia vero haud privari potest lingua quae **solā** valet exprimere eius unitatem et universalitatem, nostris quoque temporibus quibus facilius et expeditius fideles, qui natione, cultura et lingua inter se differunt, una simul conveniunt sacrisque ritibus adsunt.

Aliter, ut iam breviter diximus, sollemnes habentur celebrationes in quibus quivis coetus nationalis propria canit lingua ita ut non efficiatur participatio communis omnium astantium ut fiebat antea cum omnis catholicus, qui ad quamcumque partem orbis pervenerat: ad Continentes Americam, ad Africam, Asiam et Oceaniam, valebat participare cum fidelibus loci, sine linguae discrimine, Missam ceterasque sacras actiones quoniam in iisdem sermo Latinus ubique terrarum adhibebatur et totius orbis fideles una voce omnes canebant sentientes in propria quodammodo se esse familia.

Quae remedia?

Ratione habita linguarum nationalium in Liturgia usum, quem Concilium sivit et competens Auctoritas praeceptis datis introduxit, bonos fructus attulisse, opportunum videtur memorare Canonem 928 *novi* Codicis Iuris Canonici, qui dicit: "*Eucharistica celebratio peragatur lingua Latina aut alia lingua*" pariterque hoc minimum auspiciari: quaque in Natione in Missis diei dominici maiorumque festivitatum fideles exsequantur saltem unum cantum sumptum e Missa "de Angelis" vel unum e canticis gregorianis magis notis - sicut hortatus est Paulus PP.VI - ita ut, transacto biennio, fideles omnis Nationis tales memoria servant cantus: quod permittet cunctis orbis fidelibus interesse plane celebrationibus internationalibus (Missis Summi Pontificis, Conventibus Eucharisticis...).

Nonne Orthodoxi fratres, Hebraei, Muslimi aliarumque asseclae religionum etiam diversarum Nationum antiquis sermonibus suis utuntur in ritibus eosque ut sacros reverentur et colunt?⁸

Cur nos Catholici contra interdum ignavi et ingrati sumus in nostrum sermonem Latinum, qui plurima beneficia attulit humano generi et christianae religioni eiusque fidei puritati?⁹ Ceterum Ecclesia Catholica quali alia lingua propria potest uti huius-

⁷ *AAS* 71(1979) I, 507; cfr CONCILIIUM OECUMENICUM VATICANUM II, Decretum de Institutione sacerdotali *Optatam totius*, 13.

⁸ Cfr de hoc subtilem commentationem Caelestis Eichenseer, in: *Vox Latina* 25(1989) fasc. 97, 331.

⁹ Cfr Wladimiro LEDÓCHOWSKI in: *Il Latino lingua viva nella Chiesa*, Roma: S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi 1957, 33.

modi in ritibus et Apostolica Sedes publicis in documentis, attinentibus ad regimen totius gregis Dominici, qualem linguam valet habere ut officialem? Forsitan Anglicam-Americanam vel Hispanicam quibus loquuntur miliones hominum?

Sed fideles qui suos habent sermones consentirentne de tali linguae principatu qui fert secum pariter aliquam subordinationem in rebus culturalibus, politicis, oeconomicis et socialibus?

Lingua officialis quae, ob veteras ac validissimas rationes historicas et ecclesiales ceterasque causas, potest memoratis in adiunctis adhiberi lingua est Latina, in qua nonnullae insunt profundae radices ipsius *identitatis* catholicae.

En eius peculiare proprietates:

- fuit lingua Romani Imperii, in quo natus est Christus. Cur incarnatio Verbi facta est in eo Historiae tempore et non in alio? Interrogatio haec invenit responsionem in sequentibus perspicuis Pauli Orosii, Hispanici, et S. Leonis Magni, Tusci, verbis:

"Salvator mundi Christus illuxit: cuius adventui praedestinata fuit Imperii Romani pax",¹⁰

"Ut autem huius inenarrabilis gratiae [Redemptionis] per totum mundum diffunderetur effectus Romanum regnum divina providentia praeparavit; cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina et contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confoederarentur imperio, et cito pervios haberet populos praedictio generalis, quo unius teneret regimen civitatis".¹¹

Ergo, consilio Dei, sine Cuius voluntate aut permissione fit nihil, Romana urbs (ad quam pervenerunt Petrus et Paulus, Principes Apostolorum, ubi suam sedem posuerunt ac passi sunt martyrium) eiusque historia et lingua singulari ligamine cum mysterio Redemptionis cumque Catholica Ecclesia videntur coniungi;

- praecipuus fuit sermo, ut iam diximus, Liturgiae Latini ritus a saeculo IV usque ad Concilium Oecumenicum Vaticanum II; magis idoneus ad exprimendum ipsum "sacrum", "divinum", "numinosum" necnon iuridicas normas ac dogmata fidei quia immutabilis est perennisque, videlicet cui insidit "*quaedam inalterabilis locutionis idemptitas diversis temporibus et locis*".¹² hac de causa Cardinalis Iosephus Ratzinger provide suavit ut editio typica Catechismi Catholicae Ecclesiae esset Latina;

- sermo peculiaris adhuc manet Romani Pontificis - uti Rectoris totius Ecclesiae - et Apostolicae Sedis;

- lingua communis Europae evasit; cuius populorum occidentalium cultus humani fundamentum fuit;¹³

¹⁰ OROSIUS, *Hist.* 7,1: PL 31,1062, A.

¹¹ S. LEO MAGNUS, *Sermo* 82, 2: PL 54, 423.

¹² Dantes ALAGHERIUS, *De vulgari eloquentia* 1,9.

¹³ Cfr Carolus Egger in Prooemio ad perutilem librum Cleti Pavanetto *Elementa Linguae et Grammaticae Latinae*, LAS-ROMA 1998, IV edit., p. 5.

- mater exstitit linguarum neo-Latinarum seu *Romanicarum*: Italicae, Gallicae, Hispanicae, Lusitanae, Romenae, Ladinae, Cataloniensis;

- vehiculum fuit multa per saecula culturae humanitatis, litterarum, philosophiae, theologiae, scientiae et iuris;

- est veterum sapientiae patrum heres et lingua, inter ceteras, quae in universo orbe terrarum pleno iure possit appellari "*supernationalis*" (si hanc vocem adhibere licet), cum hodie nullius propria sit populi;

- suapte natura est rhythmica, numerosa, musicalis atque logica, brevis, synthetica; idonea valde ad cogitandum, ad acuendam mentem, ad criticum obtinendum sensum et ad homines instituendos eorumque roborandum animum;

- "*aptissima existimatur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas*".¹⁴

- numquam mortua est; "*immo vero multiplici modo vivit: non modo in linguis Romanicis, sed etiam in lingua Anglica vel Americana, cuius verborum dimidia pars ex fontibus linguae Latinae effluxit, ita ut hanc linguam non immerito filiam vel neptim linguae Latinae nominare liceat; multa verba Latina sive originalia sive leviter mutata etiam in linguam Theodiscam et in alias linguas modernas recepta esse et continenter recipi nemo nostrum ignorat*".¹⁵ Hac nostra insuper aetate quotannis habentur feriae, seminaria, ludi, in quibus participes, inter quos haud pauci iuvenes, loquuntur Latine! Praeterea in Finnia et in Bohemia Stationes Radiophonicae nuntios Latina emittunt lingua, qui per *interrete* quoque vulgantur ut "emissiones audibiles" Saravipontani in Germania dum in Italia a Domo Editoria "*ELI*", moderante sollerti viro Lamberto Pigni, eduntur ac diffunduntur per orbem Commentarioli nubeculati "*Adulescens*" et "*Iuvenis*" antea ab Antonio Salvi nunc vero ab Aloisio Miraglia laudabiliter Latine scripti.

Quibus proprietatibus adiungendae sunt quaedam sententiae Romanorum Pontificum saeculi XX, nuper praeteriti, de eiusdem praestantia:

- "*Ac de litteris, plerumque negligi linguae Latinae studium, minime gentium probamus*".¹⁶

- "*Huiusmodi cum sit sermo latinus, divinitus provisum est ut is mirifico esset usui Ecclesiae docenti, idemque Christifidelibus doctioribus ex omni gente magnum ministraret vinculum unitatis;...latinae linguae, quam dicere catholicam vere possumus... accuratissime sermone Latino volumus alumnos [clericos] institui*".¹⁷

- "*Nec facile quisquam infitiabitur, complures e Patribus, Doctoribus et christiana fidei defensoribus Latine... scripsisse*".¹⁸

¹⁴ Epist. S.C. Studiorum *Vehementer sane*, 1 Iul.1908: *Ench. Cler.*, n. 821.

¹⁵ Andreas Fritsch in: *Vox Latina* 25(1989) fasc.96, 175.

¹⁶ S. PIUS PP. X, *Epist. ad R.P.D. Ioannem Baptistam Castro, Archiepiscopum Caracensem: de instauranda cleri disciplina*, 8 Dec.1910, *AAS* 4(1911) 25.

¹⁷ PIUS PP. XI, *Epist. Apost. Officiorum omnium*, 1 Aug.1922, *AAS* 14(1922) 452. 453.

¹⁸ PIUS PP. XI, *Motu Proprio Latinarum litterarum*, 20 Oct.1924, *AAS* 16(1924) 417.

- "*Quantopere id Nos delectat quod ipsi vultis tirones vestros humanioribus litteris liberalius imbueret! Haec ad surgentia ingenia conformanda aptissima sunt, ut tum in cogitando et loquendo sit lucidus ordo et vana vitetur profluentia verborum, tum ut aliae praeclarae parentur bene cordati viri laudes. Hisce in studiis querimur quiddam contingere triste. **Proh dolor, Latina lingua, gloria sacerdotum, nunc languidiores usque et pauciores habet cultores.** Quid digne celebret hunc imperialem sermonem – βασιλική γλώσσα a Graecis appellabatur - quae vera non enuntiat sed sculpsit, quae in edictis et sententiis peculiari splendore gravitate, quae in Latina Ecclesia liturgico fruitur usu, quae denique Catholicae Ecclesiae est magni pretii vinculum? Nullus sit sacerdos, qui eam nesciat facile et expedite legere et loqui! Praeter haec utinam orientur inter vos haud parvi et pauci qui etiam presso et eleganti genere eam scribere valeant!*

Enimvero Latina lingua, itemque et Graeca, cui tot ecclesiastica scripta, iam a prisco christiano aevo, commissa sunt, thesaurus est incomparandae praestantiae".¹⁹

- "*Quam ob rem Ecclesia sancta eius modi sapientiae documenta, et in primis Graecam Latinamque linguas, sapientiae ipsius auream quasi vestem, summo quidem honore coluit... Quarum in varietate linguarum ea profecto eminent, quae primum in Latii finibus exorta, deinde postea mirum quantum ad christianum nomen in occidentis regiones disseminandum profecit. Siquidem non sine divino consilio illud evenit, ut qui sermo amplissimam gentium consortionem sub Romani Imperii auctoritate saecula plurima sociavisset, is et proprius Apostolicae Sedis evaderet et, posteritati servatus, christianos Europae populos alios cum aliis arto unitatis vinculo coniungeret".²⁰*

- "*Suae enim sponte naturae lingua Latina ad provehendum apud populos quoslibet omnem humanitatis cultum est peraccommodata: cum invidiam non commoveat, singulis gentibus se aequabilem praestet, nullius partibus faveat, omnibus postremo sit grata et amica".²¹*

- "*Quibus ex reputatis rebus sane intellegitur cur saepe et multum Romani Pontifices non solum linguae Latinae momentum praestantiamque in tanta laude posuerint, sed etiam studium et usum sacris utriusque cleri administris praeceperint, periculis denuntiatis ex eius neglegentia manantibus.*

*Iisdem igitur adducti causis gravissimis, quibus Decessores Nostri et Synodi Provinciales, Nos quoque firma voluntate enitimur, ut huius linguae, in suam dignitatem restituae, studium cultusque etiam atque etiam provehatur... in animum propterea induximus, opportunis normis gravi hoc documento editis, **cavere ut vetus et numquam intermissa linguae Latinae retineatur consuetudo, et, sicubi prope exoleverit, plane redintegretur".²²***

¹⁹ PIUS PP. XII, Alloc. *Magis quam*, 23 Sept. 1951, *AAS* 43(1951) 737.

²⁰ IOANNES PP. XXIII, Const. Ap. *Veterum sapientia*, 22 Febr. 1962, *AAS* 54(1962) 129-130.

²¹ IOANNES PP. XXIII, *op. mem.*, 130.

²² IOANNES PP. XXIII, *op. mem.*, 132.

- "*haec iterare percipimus: scilicet linguam Latinam nostro etiam tempore colendam esse, praesertim in sacris Seminariis domibusque iuventuti ad religiosam vitam instituendae. Nam hunc praeterire sermonem haudquaquam licet*".²³

- "*Fatemur sane iucundum Nobis esse conspectum vestrum, quippe cum quodam modo humanitatis cultum repraesentetis, qui est gloria Romae seu Romanitatis atque etiam - hoc addere liceat - Ecclesiae ...Fortasse novae viae erunt exquirendae, ut iuventus, cuius propensiones hodie sunt valde mutatae, ad Romani sermonis amorem traducatur*".²⁴

- "*Romani sermonis praestantiam et usum nullo non tempore tueri et amplificare studuit haec Apostolica Sedes...non paucae etiamnum manent pietatis ingenique cultus, praesertim ad Ecclesiam quod attinet, partes, in quibus sermo Latinus servandus et provehendus esse videtur*".²⁵

- "*Voluimus hanc Nostram homiliam sermone Latino inire, quoniam - ut est notum - idem est lingua officialis Ecclesiae, cuius exprimit, perspicuo et efficaci modo, universalitatem et unitatem*".²⁶

- "*Ecclesia, quae Latina vocatur, quamvis propter utilitates pastorales in Liturgiam etiam sermones vulgares induxerit, tamen a principio, ex quo lingua eius propria est Latina, non descendit... Macte virtute et ingenio estote! Linguam Latinam... diligenter colite et meditati consiliis quoquoersus provehite! Contendite, ut, antiquorum praecepta secuti, semper dilucide et plane et, cum res fert, ornate et numerose, apte et congruenter dicatis Latine atque scribatis*".²⁷

- "*Vos, qui Latinae animi culturae operam datis, sine dubio his Vergilianis solemnibus confirmamini ut linguam, quae huius poetae fuit patrius sermo et quam Ecclesia quasi hereditate accepit suamque fecit, nova impulsione acti excolatis*".²⁸

- "*et redimus quoque ad hanc perfectiorem linguam [Latinam]*".²⁹

Consulto non memoravimus documenta Leonis PP.XIII cum cognitum sit satis quantum idem Pontifex Latinam linguam dilexerit: fuit vero in ea vates facundus,

²³ PAULUS PP. VI, *Allocutio ad victores XI Certaminis Vaticani*, 26 Apr.1968, *AAS* 60(1968) 269.

²⁴ PAULUS PP. VI, *Allocutio ad eos qui conventui "Biduum Latinum" appellatum, Romae habito, interfuerunt*, 10 Nov.1973, *AAS* 65(1973) 653-654.

²⁵ PAULUS PP. VI, *Chirographum quo Opus Fundatum "Latinitas" idem Pontifex constituit ad usum linguae Latinae in Ecclesia et inter homines fovendum, "ratus - ut Rodomontis Galligani exulta verba referamus - tantum thesaurum ac monumentum nefas esse perire"*, 30 Iun.1976: *AAS* 67(1976) 481.

²⁶ IOANNES PAULUS PP. I, *Homilia in initio ministerii Summi Ecclesiae Pastoris*, 3 Sept.1978, *AAS* 70(1978) 711.

²⁷ IOANNES PAULUS PP. II, *Allocutio ad victores XXII Certaminis Vaticani et ad Moderatores et Socios Operis Fundati "Latinitas"*, 26 Nov.1979, *AAS* 71(1979) 1523-1524.

²⁸ IOANNES PAULUS PP. II, *Allocutio ad Latinae linguae cultores, XX expleto saeculo ab obitu Publii Vergilii Maronis, Mantuani poetae*, 30 Nov.1981, *AAS* 74(1982) 217.

²⁹ IOANNES PAULUS PP. II, *Allocutio radiophonica-televisifica in Nativitate Domini 1993: verba Italico sermone a Pontifice extemplo prolata invenimus in: Vox Latina* 30(1994) fasc.115, 59.

disertissimus, insignis, dignus qui inter praeclarissimos scriptores ac poëtas Latinos moderni, quod dicitur, aevi recenseatur.

Quod autem attinet ad Benedictum PP. XV, qui haud longum summum Pontificatum gessit tristissimis in temporibus primi magni belli et subsequentium graviorum socialium conturbationum, exstat singularis Epistula *Vixdum haec*, quam eiusdem iussu Sacra Congregatio de Seminariis scripsit ad Germaniae Episcopos die 9 Octobris 1921 eosdem hortans Praesules ad curandum ut **studium sermonis Latini reviresceret** in ecclesiasticis scholis.³⁰

Ita Romani Pontifices, Successores beati Petri, Supremi Ecclesiae Pastores atque Magistri.

Horum igitur Summorum Pontificum considerantes monita atque Maiorum nostrorum clarissima sectantes vestigia, hac aetate tot tantisque fluctibus agitata inque valorum crisi versante gravissima, quantum possumus amemus, honoremus et colamus linguam Latinam tamquam sapientem *antiquam matrem*,³¹ quae sane non solum manifestat visibiliter unitatem et universalitatem Catholicae Ecclesiae sed etiam una cum ditissimo patrimonio spirituali suo omnibus, praesertim iuvenibus, est incitamentum ad patranda egregia sancta digna necnon felix auspiciam ad persequendum optimum ac fecundissimum bonum unitatis totius generis humani.

* * * * *

"Quemadmodum alia musicae ac philosophiae, artis et pulchritudinis, sapientiae ac scientiae monumenta hominum per saecula peperit ingenium, ita profecto enata est pariter inter homines Latia Lingua quae ab optimis dein exulta quidem absolute auctoribus immortales genuit litteras atque innumerabiles ad recentiora usque tempora feliciter vigentes et praecipuum quendam inter mortalium eximia opera locum sibi meritas: quae si quando indigne ab iisdem neglegentur aut a posteris olim nequiter praeteribuntur, haud minus tamen fulgebunt in sese ipsae nihiloque minus intactae honorabuntur quam Handeliani quidam ignoti numeri, obscurata Socratica praecepta, picturae Giottianae adfectae - summo calamitoso cum universi hominum generis intertrimento" (Reginaldus Foster).

³⁰ Cfr *Ench. Cler.*, 1125.

³¹ Cfr VERGILIUS, *Aen.* 3,96.